

Xxv renenses pro eadem legatione in presentia ~~mag~~ magistri *Judoci de Keysere*. Reliquos denarios supercrescentes habuimus ex legatione prescripti Egidii Vilain. Insuper reliquit domui annue recipiendos certos capones circiter Xii et quatuor Sextaria siliginis apud *Steertbeke*. Oremus dominum semper pro benefactoribus nostris quorum eleemosinis sustentamur.

**I**tem anno domini Xv<sup>C</sup>Xi venit apud nos illustris et magnificus dominus D. *Jacobus de Croj* Episcopus et Dux Camerancensis qui ordinavit hic unam cellam fieri et dotare eandem cum ambitu ac ceteris necessariis pro qua dotatione diversis vicibus simul dedit Mille Renenses de quibus perfecimus eandem cellam ac redditus animus pro sustentatione unius monachi.

**I**nsuper ex quo impetravimus a capitulo generali pro eodem Domino monachatum ante obitum suum misit hic et dedit centum aureos valentes C. et XI renenses communes. Aliquando in vita sua misit huc vinum, frequenter prior et procurator eum visitaverunt quibus exhibuit hilarem vultum et semper erant recepti ad mensam suam multis presentibus magnatis ac circa eius latus sederunt. Habuit semper ordinem nostrum in magna reverentia, et tempore iuventutis sue frequentavit domum Capelle circa Angiam ac cum vicario ibidem nominato frater *Laurentius de Muschezelem* qui ut multi asserunt in vita sua multis claruit miraculis, magnam habuit conversationem et frequenter eum audiebat. Una dierum idem D. *Jacobus de Croj* pro tunc existens Prothonotarius *de Croj* quesivit ab eo an sibi consuleret quod ordinem nostrum intraret. Cui respondit idem vicarius, quo die sequenti illi daret desuper responsum. Altera die respondit ~~quod~~ illi quod non consuleret quod intraret ordinem nostrum propter eius debilitatem, sed sibi fuit revelatum quod tempore futuro fieret maximus prelatorum huius patrie et quod ~~pro~~ tunc intenderet saluti anime sue, et illi intimaret diem obitus sui. Tandem longo tempore elapso fere Xxxvi annorum spatio eodem domino existente in quadam magna societate ad mensam in cena ipso sedente, unus illi dederat ictum in dorso ac percussit. Qui satis ex hoc turbatus et circumspiciens ubique vidit neminem. Mirabatur non modicam(*sic*). Tandem surrexit de mensa pergensque ad cameram suam compunctionem habuit non modicum. Postea revolvens in corde suo quid hoc esset vel quale signum cepit cogitare de verbis sibi aliquando dictis a vicario predicto et quod intimaret illi obitum suum. Invenit

postea eundem vicarium eadem die defunctum, et sic semper habuit ordinem nostrum valde in honore. Postea electus in Episcopum Cameracensem et eadem die qua fuit consecratus in domo Cartusiensi in Lovanio, omnia que supra scripta sunt multis retulit et dixit, et postea hec eadem sic gesta frequenter affirmavit. Ipso que die Assumptionis Gloriose semper Virginis Marie circa horam septimam anno Xv<sup>c</sup>Xvi in castro suo apud *Dielbeke* diem clausit extremum. Cuius anima in eterna pace requiescat.

**I**tem anno Xv<sup>c</sup>Xi Xvi<sup>a</sup> Junii fecit professionem in statu monachi frater *Petrus Wuytens* de Alusto cuius parentes ipsi providerunt de omnibus necessariis vestimentis utensilibus celle de pitantiis vino et aliis congruentibus satis et abunde conventui propinaverunt. Etiam parentes eiusdem fratris Petri ante eius professionem promiserunt semel dare et unica vice dummodo ipsis melius conveniret C renenses communes. Reliquum si in posterum aliquid dare vellent huic domui commissum est voluntatibus eorum sed nihil exigere possumus aut valemus. Idem frater *Petrus* post absolutionem officii procuratoris quod officium exercuerat frater *Joannes de Grootte* per multos annos et instituto procuratore fratre *Joanne Meroult* qui pro tunc erat sacrista et succentor chori ipse frater *Petrus* ordinatus fuit succentor chori propter suam bonam ac tubalem vocem, quod quidem officium pro nunc exercet et continuat bene et laudabiliter.

**I**tem anno Xv<sup>c</sup>Xii fecit prior *Matthias* fieri apud *Halsingen* novum et magnum horreum, dicunt aliqui quod simile non est in territorio de *Gaesbeke* pro quo multas exposuit pecunias prout habetur in registro ipsius prioris. Et perantea ibidem fecit fieri domum habitationis cum stabulis ac multis aliis structuris, stabulum pro equis nostris ita quod pro nunc est pulchra curtis et bene in structuris provisa que pro nunc videlicet in siligine annue Xlii modios liii Sist. siliginis et in pecuniis Xxi renenses cum Ix mod \_\_\_iis qui venerunt ex parte fratris *Henrici Hinckaert* et IX Petris.

**I**tem eodem anno idem prior fecit fieri Xii fenestras in ambitu et anno sequenti perfecit ambitu(*sic*) unum prout patet oculis intuentium, et statim postea fecit cooperiri ipsum ambitum cum scaleis(*sic*) non sine magna summa pecuniarum, Ex prescriptis patet quantum idem venerabilis Prior laboravit pro erectione huius domus.

**I**tem anno domini Xv<sup>c</sup>Xii dominus *Joannes de Glimes* D. de Bergis emit dominium de *Grimbergen* super quod habuimus annue L Renenses ex parte ac donatione fratris nostri *Adolfi Coutereau* quos dominus prefatus quitavit cum Xvi similibus denariis et tunc solvit arriragia que ascendebant ad summam Centum et Xxv Renenses. Pro quibus denariis fuerunt dequitati ea que sequuntur.

**P**rimo de denariis sic dequitatis fuerunt redempti et soluti Xv Floreni aurei quos pitantia de Foresto recipere consuevit singulis annis supra bona que acquisivimus *te Bejsberge* erga dominum de *Gaesbeke*. Unde pro quolibet denario dedimus secundum tenorem litere venditionis Xxi Philippos antiquos dictos *brasdenier* pro quibus quindecim aureis dequitandis dedit et dare oportebat — — — Ii<sup>c</sup>Liiii renenses communes Viii st.

**I**tem dequitati sunt *te Lenneke* Iii modii siliginis que exierunt ex bonis nostris *te Halsingen* de quibus date sunt — — — C.V. renenses.

**I**tem dequitati sunt adhuc Iii modii siliginis quo dedimus annue uni nominato *Danckaert* quemlibet modium pro trigenta renensibus faciunt simul — — — C.V. renenses. Item dequitatus est hoc anno unus Modius siliginis quem consueverunt *levare fratres in Nazareth* ex legato fratris *Henrici Hinckaert* pro — — — Xxx renenses.

**I**tem sunt dequitati de predictis denarius Viii Sextarii siliginis quos proles *Pauli Vreelant* retinuerunt supra bona de *Halsingen* pro quibus dedit — — — Xxxiii renenses iiiist.

**I**tem prior *Mathias* emit hoc anno Xv<sup>c</sup>Xiii erga magistrum *Rejnerum de Donckere* alias *Salaert*, primo quindecim bonaria terre arabilis vel circa prope bona nostra *te Pee* in Parochia de *Itterbeke* quodlibet bonarium valens annue octo sextaria sub onere octo modiorum siliginis illis de Sancto Eligio in Bruxella sic ultra censum octo modiorum et etiam ultra censum quem pauperes et Ecclesia recipiunt manent pro nobis Xi modii siliginis de predictis quindecim bonariis. Unde pro quolibet modio dedit prior prefatus quadraginta quinque renenses faciunt simul — — — V<sup>c</sup> renenses Xx st.

**I**tem emit erga eundem Xviii Iornalia pratorum quodlibet iornale pro Xii petris que prata sunt ibidem circa bona nostra Unde summa totalis ascendit ad — — — Clxxxix renenses.

**I**tem emit adhuc erga eundem quinque iornalia nemoris in duabus petiis pro — Xxv renenses.



**I**tem pro expensis ac *pontgelt* diversorum dominorum ut patet in registro prioris bone exposuit  
— — — XI renenses.

**N**otandum quod dicta bona *te Pee* fuerunt postea vendita cuidam sc magistro *Philippo Hanneton* Audienciario Imperatoris et de denariis inde proventus fuerunt dequitati *Xiiii* renenses quos habuerunt heredes *Adriani Coccaert* Bruxelles hereditarie, et sic non habemus illa bona *te Pee* prout superius scribuntur sc de vivariis et nemoribus.

**I**tem emit idem prior hoc anno erga prefatum magistrum *Rejnerum* omnem actionem et omne ius quod habuit per mortem patris sui et fratrum suorum in bonis que quondam fuerunt *Nicolai Cassaert* et postea *Oliveri Salaert* sc terris arabilibus vivariis pascuis, nemoribus pro omni iure et actione dedit idem prior Magistro *Rejnero* — — — lli<sup>c</sup>L. renenses.

**E**t quia nondum sumus inheredati(*sic*) propter diversos census quibus predicta bona sunt onerata. Ideo sunt aliqui constituti per magistrum *Rejnerum* quibus dedit procuracionem irrevocabilem inheredandi nos vel aliquem alium vice nostra.

**I**tem promisit idem magister *Rejnerus* nobis facere *warandiam* et securitatem de omnibus bonis prescriptis, ne forte in posterum aliqui de progenie sua vellent nos molestare. Et quia non habuit bona in ducatu Brabantie, ideo prior modernus frater *Joannes Meroult* fuit prope magistrum *Rejnerum* prima octobris Anni *Xv<sup>c</sup>Xvii* Gandavi et ibi promisit *warandiam* et semper satisfacere si aliquid deficeret prout in literis desuper confectis plenius continetur.

**I**sta preterea hic scribuntur ut posterius nostri sciant qualia bona fuerunt redempta de pecuniis ac dequitatione fratris *Adolphi*. Et reliqua superius empta et declarata venerunt de pecuniis domini Cameracensis D. *Jacobi de Croij*

**I**tem anno *Xv<sup>c</sup>Xlii X<sup>a</sup>* die Julii fuit hic vestitus frater *Philippus Vilain* et anno revoluto eadem die fecit professionem cuius mater illi providit de omnibus necessariis celle, vestimentis et utensilibus. De expensis abunde providit in vestitione eius. Habemusque ex donatione ipsius fratris *Philippi Lx* Renenses annue ad vitam eius supra oppidum Antverpiense ex testamento patris sui domini *Philippi Vilain* militis consilarii ducis Brabantie qui suo filio providit de vitali pensione prescripta. Sed si eius noverca non fecisset impedimentum habuissemus magis, quia ordinatum



fuit in cancellaria Brabantie quod pensiones empte per dominum *Philippum Vilain* dividerentur eo quod ipsa noverca petiit sibi satisfieri de dote sibi promissa, et nisi provisum fuisset per dominos de Consilio Brabantie timeo ad æ= talem concordiam nonquam heredes vel noverca ad talem summam annue solvendam vix pervenisset, quia multa erant allegata ab utraque parte que causa brevitatis omitto. Oremus preterea pro illis qui nobis reliquerunt de quibus corporis sustentationem habemus et nutrimur.

**I**tem unum mirabile et omnibus Christi fidelibus mirandum quod accidit ipsa die qua predictus frater *Philippus* erat a conventu receptus ad osculum pacis, ipso die sc Venerabilis Sacramenti, more solito petiit ipse *Philippus* recreationem sive spaciamentum quod habuerunt, tamen circa tertiam horam post prandium talis tempestas evenit cum grandine et turbine ita ut omnis ista regio fructus, ligna, blada ac ceteri fructus terre omnino erant destructa. Asserunt multi quod per spacium X leucarum extendit se ista plaga intantum(*sic*) quod fere omnia erant destructa, lapides grandinis ceciderunt maxime quantitate fenestre vitree presertim in ecclesia beate Marie de Zabulo erant rupte et destructe quod vix pro duobus Millibus florenorum poterant reparari. Post mensem et ultra adhuc inventi sunt lapides grandinis qui tunc ceciderunt. Multi coloni totaliter destructi et depauperati, ita usque nunc non potuerunt reparare damnum quod tunc habuerunt. Ipso anno non modicam habuimus tribulationem cum colonis nostris quia aliqui nihil dederunt aliqui vix Xi<sup>m</sup> denarium vel pactum dare voluerunt et sic permissione divina eodem anno multa damna opbrobri====== obprobria(*sic*) et molestias sustinuimus tamen conventus noster fuit in omnibus gratiose provisus, laudemus deum qui ex omnibus tribulationibus nos eripuit et speramus quod in futuro eripiet.

**I**tem anno Xv<sup>c</sup>Xiii Xvij Augusti obiit venerabilis et honesta mulier domicella *Clara Molenpas* relicta quondam *Joannis van Elzelaer* et perantea duxerat in coniugium magistrum *Joannem Everaerts* qui fuit pater confratris nostri *Joannis Everaerts* donati huius domus que iacet sepulta sub lapide *Joannis van Elzelaer* et cum prima uxore sua domicella *Margareta Zuweels*. Que quidem domicella *Clara* fuit magna benefactrix huius domus ut patet in capitulo de bonis *te ytterbroeck* quia ibi habetur quod de eisdem bonis dequitaverat Xvi coronas et X iornalia terre

quas domui dederat. Insuper dedit domui omnia bona sua mobilia de quibus habuimus multa lintheamina, lectos vestes, clinodia, utensilia diversa in panno lineo, etiam dedit tres casulas. Primam de Damast excepta cruce de auro, casulam Unam albam, et Unam aliam nigram. Pro magno calice faciendo dedit ciphum argenteum, plures gratias dedit in vita sua et multum afficiebatur domui et ordini, honesta semper fuit et devota ac pauperibus misericordissima, et in infirmitate sua de qua obiit multum patiens. Retribuat illi deus secundum opera sua.

**I**tem anno Xv<sup>C</sup>Xv completo ambitu nostro per venerabilem priorem dominum Mathiam, semel causa recreationis venit ad nos, honorabilis vir Joannes Micault consiliarius regis Hispanie ac receptor generalis totius istius patrie. Inspiratione divina ut pie creditur voluit ut fenestre in ambitu fierent et ipse omnes pro maiori parte procuravit ac fieri fecit.

Prima est Imperatoris Maximiliani.

Secunda est Philippi Regis castelle dicti Maximiliani filii.

Tertia est regis Karoli Castelle, et Arragonum, dicti Philippi filii.

Quarta est ducisse Sabaudie domine Margarete invictissimi Imperatoris filie.

Quinta est Fernandi filii Regis Philippi.

Sexta est Helenore filie Regis Philippi.

Septima est domini de Chièvre.

Octava est domini de Hoostraete (*sic*).

Nona est magistri Joannis Ruffault Thezaurarii huius patrie.

Decima est domine de Crubeke ac sororis sue.

Supra ostium ambitus dedit vitrum Joannes Cuerens.

Undecim est Karoli le Clerck qui est thezaurarius Neapolis.

Duodecima est Joannis Micault qui est receptor generalis istius patrie cuius promotione omnes fere sunt facte.

Tertiadecima est Petri Bosot qui est magister computorum Regis Hispanie.

f<sup>o</sup> 85<sup>v</sup>

Quartadecima est magistri Jeronimi vander Noot militis et Cancellarii Brabantie.

Quintadecima est domini Anthonii Masteyn ante cellam quam D. Joannes Masteyn pater eius fecit fieri et eam dotavit ac pro ambitu faciendo semel dedit centum coronas.

Sextadecima est domini Gerardi Episcopi Leodiensis.

Septima decima est domini de Bueren.

Octava decima est domini Maximiliani militis Aurei Velleris domini de Zevenberghe.

Nonadecima est domini Anthonii de Ascha qui duxit in uxorem filiam magistri Karoli de Groote.

Vigesima est domini Philippi Coutereau quam fecit fieri ob memoriam matris sue ibidem sepulte.

Vigesima prima est Domini Jacobi Grinet Thezaurarii guerrarum domini de Wencourt.

Vigesima secunda est magistri Judoci de Leenere Chirurgici Regis Hispanie et canonici sancte Gudile Bruxelles.

Et hee(*sic*) omnes in uno latere habentur.

**S**equitur pro vigesima tertia fenestra quam fecit fieri mater confratris nostri Firmini Torment ante cella notatam litera S.

Vigesimam quartam fecit fieri frater Joannes Zuene ante cellam signatam litera B.

Vigesimam quintam et sextam fecerunt fieri executores Reverendissimi Episcopi Cameracensis D. Jacobi de Croÿ.

Vigesimam septimam que deberet scribi in loco vigesime quinte dedit, D. Emmanuel princeps pedemontium.

Vigesima octava est .d. Jacobi vander Meeren Abbatis monasterii S. Bernardi ad Scaldam.

Vigesima nona est domini de Fassaul.

Trigesima est domini Mercurini de Gattinaria.

Trigesima prima est domini Anthonii Vicecancellarii Regis Arragonum.

Trigesima secunda est Prioris Gandavi nostri ordinis Cartusiensis D. Christopheri.

Trigesima tertia est domini De Bevere.

Trigesima quarta est prioris Amstredamensis.



Trigesima quinta est prioris Sophie

Trigesima sexta est prioris Traiecti.

Trigesima septima est prioris Hollandie.

Trigesima octava est domini Postarum.

Trigesima nona est Thezaurarii Hispanie.

Quadragesima est domini de Mingeval.

Quadragesima prima est domini abbatis de ~~Fienes~~ Villeers.

Quadragesima secunda est domini de Fienes

Quadragesima tertia est D. Karoli, natione Angli(*sic*) et hec est ultima fenestra ante cellam procuratoris, et omnes predicte fenestre erant facte et stabant in suis locis Anno Domini

Xv<sup>C</sup>Lviii.

**I**tem anno Xv<sup>C</sup>Xv X<sup>a</sup> Augusti fuit hic investitus dominus *Arnoldus* presbiter et canonicus de *Boxele de Buscoducis* qui non perseveravit in ordine et in die sancti Francisci recessit, sed iterum reversus est ad domum istam petens iterum recipi. Iste habuit defectum in lingua quod quando lectiones legit intantum titubavit quod non paterat legere lectionem ex quo defectu conventuales non erant multum inclinati ad eum quia multa sunt legenda tam in Ecclesia quam refectorio et etiam multa que eadem die debet compleri et legi et per talem defectum conventus multum gravaretur in expectando, et ideo istis consideratis reliquit ordinem, quia ab infantia passus est eundem defectum titubationis, et iam facit residentiam apud *Boxele*. Dirigat eum dominus ad salutem anime sue.

**I**tem Anno Xv<sup>C</sup>Xv fuimus multum vexati ex parte Principis non solum nos sed etiam tota patria occasione amortizationis bonorum nostrorum et dedimus declarationem omnium bonorum nostrorum acquisite infra XI Annos, quia ante illud tempus dedimus tempore ducis Karoli declarationem bonorum nostrorum et tunc dedimus C.Lxxx. renenses pro dicta amortizatione. Et iam fuimus taxati ad Mille Xxxxix renenses et Xv st., non obstante tamen quod commissarii sc magister *Egidius de Busleyden*, magister computorum in Bruxella et *Joannes van Nuwenbove* receptor in parte Bruxellensi fuerunt satis pii et gratiosi. Prior *Mathias* cum suo procuratore fecerunt magnam instantiam et prosecutionem pro relaxatione dicte amortizationis dederuntque supplicationem Regi nostro in qua petierunt ut receptores oppidi Bruxellensis qui domui huic obligantur in magna summa ultra Quatuor Millium renenses ut pro hac domo in defalcationem dicti

debiti solverent taxam eis impositam et quitarent dictos receptores in duplo plus. Que supplicatio erat lecta in magno concilio regis et pronunciatum erat quod erat valde rationabilis et fuit commissum et iniunctum domino Cancellario Brabantie quod apud se convocaret dictos Receptores et ita fecit inducendo, demonstrando, persuadendo, et rogando ut secundum intentum dicte supplicationis vellent facere. Qui nullatenus acquiescere voluerunt dicentes quod plures essent contenti recipere X renenses et pro defalcarent Centum R enenses. Istam responsionem scripsit manu propria dominus Cancellarius Brabantie, magister *Jeronymus vander Noot*.

**H**iis non contenti prior et procurator ordinaverunt aliam supplicationem ad Regem petentes ut saltem unum annum solveremus. Istam supplicationem presentavit Regi Domina Helenora soror eius que multum nobis afficiebatur, et sic fuit concessum, sed tandem supervenit unus dominus de Finantiis et nostram supplicationem annullavit. Et die sequenti scriptum fuit supra dictam supplicationem quod non expectaremus aliam gratiam quam illam que nobis facta fuerat et desuper haberemus patientiam. Unde ipsa die Helenora multum doluit. Tandem ex quo nullum habuimus aliud consilium aut refugium et omni die eramus in periculo ut facerent executionem super nos, sic compulsi fuimus dare et solvere Vi<sup>c</sup> Renenses de quibus habemus quitantiam a dicto Receptore *Joanne van Nuwenhove*. Et unam aliam literam amortizationis omnium bonorum nostrorum usque ad presens tempus et sic sunt bona nostra amortizata. Qui fuit inventor istarum rerum reddat illi deus secundum demeritum suum.

**I**tem anno Xv<sup>c</sup>Xvi solvimus memoratam summam Vi<sup>c</sup> Renenses.

**I**tem eodem anno X<sup>a</sup> Aprilis ipsa die sancta Para Sceves obiit venerabilis prior frater *Mathias Tsergoossens* qui feria quinta ebdomade sancte cepit infirmari et eadem nocte fuit ad matutinas usque ad finem, post matutinas incepit febricitari et fecit fieri ignem in cella sua eademque die vix erat compos rationis et parum aut nihil loquebatur. Feria V<sup>a</sup> sequenti ipso die cene Jhesu Christi summo mane misimus pro medico qui venit circa Vii vel Viii horam ipsum palpando et visitando ceteraque que officii sui erant faciendo qui predixit eum hac eadem die moriturum. Unde non modicum perplexi verum etiam multum contristati, petiit ab

ab(*sic*) eo Vicarius an vellet accipere venerabile sacramentum quod die consimili(*sic*) dominus noster Jhesu consecravat ac fidelibus suis sumendum instituit ac pro viatico ordinavit qui respondit libentissime se hoc facturum, et sic ante officium misse recepit Venerabile Sacramentum et extremam unctionem necnon et absolutionem secundum modum ordinis et ab omnibus humiliter petiit veniam de omnibus commissis. Tandem ipsa die predicta legit matutinas de domina cum duobus monachis et satis perfunctorie legentibus dominus regnavit dixit uni eorum tractius tractius, et perfecte omnia legit. Postea post Xii<sup>am</sup> horam et primam incept(*sic*) agonizare, aperuitque os suum nihil insolentie ut assolant plures agonizantes fecit aut ostendit vocatusque fuit vicarius postquam legerent unam letaniam ex integro. Incipientesque passionem domini nostri Jhesu Christi spiritum deo reddidit. Cuius anima cum X<sup>o</sup> ut speramus requiescit.

**E**t quia scriptum est ne laudes hominem in vita sua eo quod iste venerabilis pater diem suum clausit extremum ut successores huius domus eum sequantur eo scribenda sunt que sequuntur.

**P**rimo idem Frater *Mathias* fuit in officio prioratus huius domus Xxix anno et Viii menses vel circa semper fuit vir pacis, tranquillus, humilis modestus, discretus et pro domo valde sollicitus. Nam tempore prioratus sui acquisivit curtim *te Halsingen* que videlicet annue in sigiline Xlii modios et liii sextarios et in pecuniis Xxi Renenses.

**I**tem acquisivit et emit curtim *te Beysberge* erga dominum de Gaesbeke que videlicet annue absque ulla reparatione domorum Xxiiii modios siliginis, Vi m odios avene cum sextarium pisarum unum sextarium fabarum et sextarium seminis raparum Xx Lbr butiri et in pecuniis Sex salucia.

**I**tem acquisivit Curtim *te Pee* quam emit a magistro Joanne Sucket consiliario regis Hispanie cum aliis terris que interim emit a magistro Reÿnero de Donckere et a domina de Zantberge. Dat colonus(*sic*) nunc annue Quinquaginta modios siliginis et de pratis ipsi et alii tenentes ipsa parte Xlv renenses annue exceptis aquis et vivariis necnon nemoribus que omnia lucidius habentur in registris prioris et procuratoris.

**I**tem fecit fieri in Anderlaco pulcram Curtim cum duobus horreo et stabulis que quantum annue videlicet ignoramus quia damus ipsam curtim ad medietatem. In pecuniis vero dat annue colonus Xxvi Renenses



**I**tem tempore ipsius devenit ad istam domum curtis *te Itterbroeck* ex legatione *Willhelmi Mesmakere* necnon domicelle *Clare Molenpas* ac filii sui fratris *Joannis Everaerts* confratris nostri. In qua quidem curti anno Xv<sup>c</sup>Xvi fecit fieri pulcherrimum stabulum equorum in introitu curtis unde exposuit pecunias multas. Quantum autem alibi acquisivit lucidius omnia inveniuntur in registris suis. Quantas etiam constructuras tempore suo fecit dicemus. Primo construxit domum bladorum dictum *den Spijckere*. Stabulum equorum et vaccarum. Refectorium cum cellariis subtus. Domus episcopi Cameracensis D. *Henrici de Bergis* cum carceribus. Ambitum a quinque fenestris citro construxit. Qualia et quanta interim quod fuit prior emit et acquisivit habentur in suo registro. Rogemus dominum Jhesum ut illi similem excitare dignetur et ut spiritus Helie requiescat super Helizeum. Ista preterea scribuntur ut ferventius pro ipso oremus et ut sequentes conentur sequi vestigia eius. Quod nobis concedat qui est benedictus in secula. Amen.

**F**uit altercatio inter nos et duo monasteria alia pro curti de *Itterbroeck* ut alibi habetur.

**I**tem anno domini Xv<sup>c</sup>Xvii post pascha misit ad nos honorabilis vir *Jacobus Cooman* Gandensis civis (habens in isto domo duos filios fratrem *Jacobum* presbiterum professus huius domus necnon fratrem *Livinum* conversum etiam professum) pia devotione motus et ut pie creditur spiritus sancti instinctu Lxxii Renenses et ordinavit ut pro ipsis emerentur Quatuor Renenses annui et perpetui census, et quamdiu ipse in humanis subsisteret ipso die sancti Jacobi Apostoli daretur pitantia monachis de vino et piscibus. Post mortem vero suam ordinavit idem *Jacobus Cooman* quod eadem pitantia daretur conventui in die obitus sui quem deus felicem faciat et beatum et consequenter singulis ~~ang~~ annis ipso die sui anniversarii ea ratione ut fratres ferventius pro ipso orerant. Hoc denarios recepit procurator noster frater *Jacobus Fabri* et sunt applicati ad redditus perpetuos, nam inde emptum est unum pratum *tot Pede* valens annue quinque renenses.

**I**tem anno domini Xv<sup>c</sup>Xvii Xvi die mensis Augusti venit ad domum istam magnificus dominus *Mercurinus de Gattinaria* ex dominis de Arboreis diocesis Vercellensis utriusque iuris doctor, egregius miles in armis presidens parlamenti comitatus Burgundie. Iste dominus *Mercurinus* fecerat perantea votum visitandi terram sanctam et Sepulcrum nostri Domini Jhesu Christi, sed propter senium et alias

causas fretus consilio doctorum illud votum mutavit de consensu summi Pontificis ac confessoris sui ut ageret penitentiam in aliquo monasterio per dimidium annum et aliquo loco segregato et interim visitaret sepulturam domini que est circa Mediolanum quod et fecit et sic mansit in hac domo usque ad principium Maÿ. Interim predictus Dominus vacavit studiis et orationibus ac multum exemplaris in verbis ac moribus ac totus humilis fuit. Qui videns ambitum imperfectum dedit prima vice II<sup>C</sup> renenses ad perficiendum dictum ambitum, et breviter postea dedit adhuc II<sup>C</sup> renenses ~~ad~~ ex quibus media pars ipsius ambitus est perfecta et completa. Idem dominus dedit omni mense pro expensis suis ac duorum famulorum XXX renenses excepto vini quod sibi providerat semper de optimo quod invenire poterat feceratque sibi vestimenta alba ac si religiosus fuisset. Interim idem dominus inimico generis humani procurante qui semper bonis operibus invidet multa adversa huius mundi passus est quia quendam processum de quodam castello in Burgundia amiserat et vasa sua argentea erant publice vendita ad confusionem et scandalum ipsius per Presidentem Mechlinie sed semper in omnibus patientissimus fuit. Et postea emuli sui sollicitaverunt dominam de Sabaudia ut veniret ad servitium suum qui nullatenus acquievit sed penitentiam sibi iniunctam et terminum sc dimidii anni perficere valuit quamque eadem domina eidem pluries scripsit quod ipsa pro eo responderet. Qui nullatenus acquiescens suum propositum et intentum perficere voluit, potius eligens affligi propter Christum quam timore secularis damni aut honoris alicuius officii aut servitii privari et de honestari. Postea misit domina de Sabaudia ad dictum dominum Marcurinum dominum Decani de Poligni et Eleemosinarium suum ut renunciaret officio presidentie sue in manibus dicte domine et illi daret Quinque milia francorum. Qui renuens noluit hoc facere nec voluit absolvi a dicto officio quod sibi Imperator dederat et non Domina. Nec etiam promeruerat absolvi a dicto officio, quia sine iusta causa noluit absolvi, tamen invalescentibus quibusdam suis emulis qui apud dictam dominam eius absolutionem sollicitaverunt, tandem fuit absolutus a dicto officio, sed semper mansit patiens sc votum suum implevit. Tandem voto completo perrexit versus Mechliniam versus eandem Dominam